



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 105. Titulus XXXVII. De Monasteriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Titulus XXXVII. De Monasteriis.

Titulus trigesimus septimus de Monasteriis triginta duos continet Canones, in quibus I. præcipitur, ne *loca sacra in ædificia sæcularia convertantur.*

II. Præscribitur, ut *Abbatēs, Priores conventuales, Decani, & Præpositi monasteriorum, intra annum ad sacrum presbyteratus ordinem promoveantur.*

III. *Votum Religionis nemo, cujuscunque sexus, emittat ante decimum sextum annum ætatis, & nisi prius expleto anno probationis a suscepto Religionis habitu.*

IV. *Parentes non cogant liberos ad suscipiendum Religionis habitum, aut ad ejus votum emittendum.*

V. *Præpositi Monasteriorum neminem spe lucri, aut hæreditariæ Successionis admittant, nec eorum bona ullo modo affectent.*

VI. *Monachis non liceat ab ordine in ordinem migrare, etiam strictiorem, nisi juris communis dispositione servata.*

VII. *Monachi cujuscunque ordinis, etiam Mendicantium, qui professionis votum emisserunt, & tamen adhuc extra Monasteria sua degunt, ad illa statim redire cogantur: si neglexerint, post monitionem Episcopi, aut Superioris, excommunicentur; etsi opus fuerit, extraordinarie puniantur.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1584.

VIII. *Nemo regularis ad prædicationis, & lectionis munus publice, aut privatim obeundum admittatur, nisi qui ab Episcopo de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus fuerit.*

IX. *Provideant Episcopi, constitutiones de clausura Monialium factas arctissime observari, & restitui.*

X. *Nulli Sanctimoniali liceat post votum, monasterium egredi, etiam ad breve tempus quocunque prætextu, nisi ex necessaria causa ab Episcopo probanda, & expressa in constitutione felicitis memorie Pii V.*

XI. *Monasteria Sanctimonialium nemini cujuscunque generis, gradus, conditionis, dignitatis, sexus, vel ætatis ingredi liceat, nisi de licentia Episcopi, aut Generalis ordinis, Provincialis, aut Visitatoris, ad id specialiter deputati; idque duntaxat in actu visitandi: quæ licentia non nisi scripto concedatur.*

XII. *Si quando necesse sit vecturæ, ruinarum reparandarum gratia, aut visitationis infirmarum, sæculares Monasterium ingredi, Præposita, & duabus, aut tribus sororibus præsentibus id fiat.*

XIII. *Cum Monialibus nemo colloquatur, nisi per clathros, rotam, sive turnum, idque præsentem Monasterii præfecta, aut duabus Sororibus.*

XIV. *Confessores Monialium, antequam*

quam ad suum munus admittantur, ab Episcopis examinentur, & præter Confessores ordinarios ab iisdem alii Confessores extraordinarii seligantur, qui singulis annis bis, aut ter earum confessiones audiant.

XV. Moniales saltem semel in mense peccata sua confiteantur, & Eucharistiam sumant.

XVI. Provideatur per Superiores, ut Monialibus verbum Dei in earum Monasteriis frequenter prædicetur.

XVII. Quotiescunque fratrum Religiosorum opera requiretur in Monialibus, quæ adversa valetudine detinebuntur, consolandis, & Sacramentis administrandis, duæ, aut tres Sorores semper præsentis adsint.

§. CVI.

Titulus XXXVIII. De rebus ad Ecclesiam pertinentibus.

Titulus trigesimus octavus de Ecclesiæ bonis complectitur septem Canones, qui duntaxat ad bonorum conservationem tendunt, hinc alienationes contra juris præscripta factas omnino nullas esse declarabat Synodus, simulque communione Ecclesiastica privat illos, qui Ecclesiis donata retinent. Præscribitur etiam, ut, si quæ res Ecclesiasticæ necessario alienandæ erunt, aut si quæ alia per homologationem confirmanda, eam provinciam Episcopus

N 4

ipse

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.